

habuerit in radice, uel reuolutione, accident nato anxietates & poenæ pro fratribus, & amicis suis tristitias habebit, ad loca extranea ibit, & si fuerit receptus, diriguntur, & prosperantur res istæ.

Saturnus cum Sole corporaliter iunctus in reuolutione, si habuerit aliquod ex predictis testimonijs in radice, uel reuolutione, significat quod habebit impedimenta ex parte regis, & per anxietates transibit, habebit rixas, & iurgia cum mulieribus, & pro eis tristitias, infirmabitur infirmitatibus calidis, de quibus metum habebit, & si non infirmabitur, habebit iurgia & rixas, & aliqua de eius mulieribus morietur, & si uixerit pater eius, morietur forsitan illo anno, & perdetur eius dominium, si habuerit illud.

Si uenerit Saturnus in reuolutione ad locum Veneris radicis, significat quod natus ibit itinera, & minuetur eius libido in amore & coitu mulierum. Si apius fuerit ad habendum filium, habebit illum illo anno, capietur amore.

Saturnus in reuolutione si uenerit ad locum Mercurij radicis, minuetur intellectus nati, faciet iter, si filios habuerit tristitiam habebit de ipsis, exponet se periculis, & rebus de quibus metum habebit, loquetur fabulas quæ sibi damnum inferent, eis mercatura, & magisteria damnabuntur.

Saturnus in reuolutione ad locum Lunæ radicis ptingens, damnū in mulieribus significat, uel cadet ab alto. In hoc aspice etiam ad Lunā in quo fuerit signo, qualis fuit in angulo, accident ei damna, & labores de natura signi in quo fuerit Luna. Si fuerit humanum, erit damnum ab hominibus, Si de forma animalium, erit damnum ab eis, Si in forma bestiarum, erit à beluis, Si in Scorpione, erit à reptilibus ferientibus, Si in Cancro, uel Piscibus, erit à reptilibus aquarum, uel ipsorum occasione, & damnabitur regnum, & dominium eius, si illud habuerit. Et si Luna fuerit in ascendente radicis, fortē infirmitatem habebit, de qua erit in periculo, & timore,

De reditu Iouis.



V A N D O Iupiter peruererit in reuolutione ad locum in quo fuit Saturnus in radice, seruantur significaciones Iouis, & minuuntur mala significaciones Saturni, & aptantur, & erit de bona uoluntate, lege, & credulitate, & in suis negocijis, ac petitionibus fortunatus, bonum habebit à suis amicis, & eius inimici fient amici ipsius, & perquirent amictiam & amorem eius.

Iupiter in reuolutione recurrens ad locum suum radicis, renouat, & adducit bonum quod significauit in radice, habebit lucra, & substantiam à parte, qua non sperabit, nec suspicabitur natus.

Si uenerit Iupiter in reuolutione ad locum Martis radicis, natus faciet itinera, & bonum ex eis habebit, euident ei lucra, & utilitas ex parte itinerum, & locorum extraneorum, ac regum, & hominum armigerorum. Si aptus fuerit, habebit forte filium illo anno, & ipsius fratres bonum habebunt, aut illi quos tenet loco fratrum.

Iupiter in reuolutione ad locum Solis radicis recurrens, uel si fuerit combustus, & Iupiter habuerit testimonium in radice nativitatis, uel reuolutione, aut in signo applicationis, natus erit in periculo mortis, donec transeat combustionem, uel donec transeat Sol gradum applicationis, aut gradum ascendentis reuolutionis, & si hoc transiuerit, euadet, & accidet ei metus ex parte regis, & abscondet se ab eo, accident ei infirmitates ex calore, à suis parentibus bonum habebit, uel ab eis qui sunt eiloco patrum. Etsi Iupiter in hoc fuerit orientalis, significat magnam fortunam.

Si fuerit Iupiter in reuolutione ad locum Veneris radicis reuersus, accidet infirmitas sibi, & damnatio complexionis, eius corpus macrescat, ascendet in precio, & ualo-